

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Gebri Arabis Chimia**

**Geber**

**Lugduni Batavorum, 1668**

De adurentis sulphuris mixtione. Cap. XXXIV

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

*De adurentis sulphuris mixtione.*

## CAP. XXXIV.

**E**X sulphuris igitur mixtione, utrum in perfectione consistat magisterium approbatur similiter. Quoniam experientia nostra invenimus, sulphur corporibus commixtum quaedam magis, quaedam vero minus comburere; & quaedam a combustionem redire, quaedam vero non, nostro reperimus artificio. Et ex hoc itaque differentia notari potest inter ipsa a perfectione diminuta corpora preparata in complemento sophistico. Igitur cum inter cetera corpora cujusque invenimus generis Solem minime per sulphur comburi. Ab hinc vero & postea Jupiter: deinde vero Luna, post hoc Saturnus: & facilius quidem his omnibus Venus: facillime Mars per sulphuris oleaginitatem comburitur. Ideo per hoc notatur quod magis, quod minus naturæ perfecti approxinat. Et ex diversitate colorum post corporum combustionem perquiri potest, in quo alteratum genere ex suæ naturæ radice corpus consistat. Quoniam Sol quidem citrinum intensum, aut rubeum clarum: Luna vero nigrum cœlestino admixtum: Jupiter vero nigrum modica rubedinis tinctura admixtum: Saturnus vero nigrum fuscum, multo rubori & livi-

& lividitati admixtum : Venus vero nigrum lividitati admixtum , multa præexistente combustione nitidissime , & amœnum violaceum protendit ex sulphuris commixtione colorem. Mars vero in omni combustionis genere nigerrimum fuscum creat colorem. Ex reductione autem à sulphuris combustione notatur & similiter diversitas in corporibus. Quædam enim redeunt : quædam vero ignis expressione à reductione cum sulphure recedunt ; aut totaliter , aut eorum quantitas major. Quædam vero in suæ naturæ corpora , quædam vero in aliud quam suæ naturæ redeunt à combustione ad corpus. Redeunt ad proprii naturam corporis , à sulphuris combustionem Sol & Luna : Recedunt autem Jupiter & Saturnus. Jupiter autem aut totaliter , aut secundum sui majorem partem. Saturnus vero non ex toto recedit : sed quandoque major , quandoque vero minor illius deletur pars. Horum autem contingit diversitatem existere , propter naturam & corporum administrationis eorum in opere præparationis differentiam. Quoniam scilicet ex subita ignis expressione de reductione Jovem deleti contingit. Et successiva vero & paulativa & Saturnum & Jovem salvari. Eorum tamen reductio in alieni corporis potius quam proprii naturam vergit. In clarum quidem videlicet  
anti-

antimonium Jovis : in fuscum vero Saturni converti reductionem repertum experientiâ nostra extitit. Venerem vero minui in ignis reductionis impressione : Martem vero magis contingit. Sed Veneris quidem est reductio ponderosa & citrina fusca , & mollis nigredinem participans cum sui augmento ponderis corporis. Ex his igitur perquiri poterit omnium alteratorum natura corporum.

*De calcinatione & reductione.*

C A P. XXXV.

**D**E Calcinationis igitur & reductionis reiterationis examine dehinc perquirendum. Innuimus igitur, quoniam perfectionis reperta sunt corpora in calcinationis & reductionis reiteratione, ex bonitatis differentiis, nihil perdere coloris, ponderis, aut quantitatis , de qua curandum sit nimum, aut fulgoris, perdere, quantumcunque reiteretur ad illa operationis illarum multiplicitas. Et ideo si per reiterationem modorum calcinationis & reductionis à calce, ex omni metallorum alteratorum genere bonitatis differentiis perdant aliquid , æstimandum putantes , sophisticè perquisitionem artificem indagasse Quamobrem igitur ad illas exerciteris , ut eas cognoscas.

*De*